

quam *Divanum* vocant, convivio regio a Bassis exceptus, intra claustrum ad Suleimanum perductus est, qui in thoro aureo, panno gemmis, ac margaritis intertexto sedebat, dextramque porrigere solitus, turbati animi indicem, pectori admovit. Contarenus paucis verbis legationis causam exposuit. Nihil ad ea, ut moris ex fastu, ac superbia Ottomanorum est, respondit; id unum, ut prosper illi esset adventus, præloquutus, negotium Bassis commisit: quid sibi videretur, ex iis intellecturum. Multis Contarenus cum Luphtibejo, atque aliis purpuratis egit; se a Senatu missum, ut pacem veteribus conditionibus, quæ utrinque occupata fuerant, restitutis, instauraret. His auditis, Bassæ vehementer Regis animum adversus Venetos iratum esse ajebant, atque eam ob rem in primis, quod, cum Cæsare foedereicto, arma in ipsum intulissent: proinde de recipiendis quæ bello in illius potestatem concesserant, oppidis nihil speraret: nisi Nauplium, atque Epidaurum, ceteraque in eo litorum tractu, quæ a Neocastro Byzantium usque protenderentur, Venetæ ditionis essent, ut omnis diffidiorum seges tolleretur, traderent, de pace actum esse: præterea impensam in id bellum auri, atque argenti magnam vim, ad quod multis laceffitus injuriis descendisset, flagitare, quo regiæ dignitati prospiceretur: quis enim eum Regem, cui prope infinitæ affluunt divitiæ, ac thesauri, pecuniæ avidum censeret? haud parvam quoque pecuniam, superioribus annis pace sancita, Cæsari, qui potentia, & viribus illo inferior esset, numeratam fuisse. Ad ea Contarenus, se pro ineunda pace, quæ cum Reipublicæ dignitate fieret, Byzantium profectum; iis, quæ peterentur nullo pacto adfentiri posse; Rempubicam fortiter dimicaturam, extrema potius pericula subituram, quam de suis ditionibus quidquam sponte cederet. Subjecere Bassæ, nisi aliud in mandatis haberet, Byzantio abiret. Contarenus his de rebus Senatum certiorum facturum, atque interim dum responsum ferret, Byzantii, si ita illis libuisset, moraturum: id vero, quamvis omne studium adhibuisset, minime impetrare potuit; neque gravis, atque annosa ætas, longique itineris difficultas, neque ulla Gallici legati officia barbarorum ingenia flexere. Consalutato itaque

*Turcarum
petitiones ob
pacem Venetis conce-
dendam.*

*Thomæ Contareni ora-
toris respon-
sum.*